

enim patet, species intelligibiles quibus anima nostra intelligit veritatem, de novo nobis advenire ex phantasmatibus per intellectum agentem: unde non potest concludi quod anima sit aeterna, sed quod veritates intellectae fundentur in aliquo aeterno: fundantur autem in ipsa prima veritate sicut in causa universali contentiva omnis veritatis. Ad hoc autem aeternum comparatur anima non sicut subjectum ad formam, sed sicut res ad proprium finem. Nam verum est bonum intellectus, & finis ipsius: ex fine autem argumentum accipere possumus de rei duratione, sicut & de initio rei argumentari possumus per causam agentem: quod enim est ordinatum ad finem sempiternum, oportet esse capax perpetuae durationis: unde potest probari ex aeternitate veritatis intelligibilis immortalitas animae, non autem ejus aeternitas.

Quod vero non possit probari ex aeternitate agentis, patet ex his quae supra cap. xxxi. & infra dicta sunt, cum de aeternitate creaturarum quaeretur.

Quod etiam tertio objicitur de perfectione universi, necessitatem non habet. Universi enim perfectio attenditur quantum ad species, non quantum ad individua; cum continue universo plurima individua addantur praesistentium specierum. Animae autem humanae non sunt diversae secundum speciem, sed solum numero, ut probatum est cap. lxxv. Unde non repugnat perfectioni universi, si animae de novo creentur.

Ex quo etiam patet solutio ad id quod quarto objicitur. Similiter enim dicitur Genes. i. quod Deus consummavit opera sua, & quod requievit ab omni opere quod pararat. Sicut ergo consummatio, sive perfectio creaturarum secundum species consideratur, & non secundum individua; ita quies Dei est intelligenda secundum cessationem a novis speciebus condendis, non autem a novis individuis, quorum similia secundum speciem praecesserunt: & sic cum omnes animae humanae sint unius speciei, sicut & omnes homines, non repugnat praedictae quieti, si Deus quotidie novas animas creat.

Sciendum autem est, quod ab Aristotele non invenitur dictum, quod intellectus humanus sit aeternus, quod tamen dicere consuevit in his quae secundum suam opinionem semper fuerunt. Dicit autem ipsum esse perpetuum: quod quidem potest dici de his quae semper erunt, etiamsi non semper fuerint: unde & in XII. Metaph. cum animam intellectivam a conditione aliarum formarum acciperet, non dixit, quod haec forma fuerit ante materiam, quod tamen Plato de ideis dicebat: & sic videbatur conveniens materiae in qua loquebatur, ut aliquid tale de anima diceret; sed dixit, quod manet post corpus.

CAPUT LXXXV.

Quod anima non est de substantia Dei.

I. Part. quaest. xc. art. 1.

EX his etiam patet, animam non esse de substantia Dei.

1. Ostensum est enim supra Lib. I. cap. xv. divinam substantiam esse aeternam, nec aliquid ejus de novo incipere. Animae autem humanae non fuerunt ante corpora, ut ostensum est cap. lxxxiii. Non igitur anima potest esse de substantia divina.

2. Amplius. Ostensum est supra Lib. I. cap. xxvii. quod Deus nullius rei forma esse potest. Anima autem humana est forma corporis, ut ostensum

est cap. lviii. & lxxviii. & infra. Non igitur est de substantia divina.

3. Praeterea. Omne illud ex quo fit aliquid, est in potentia ad id quod fit ex eo. Substantia autem Dei non est in potentia ad aliquid, cum sit purus actus, ut supra I. Lib. cap. xvi. ostensum est. Impossibile est igitur quod ex substantia Dei fiat anima, vel quodcumque aliud.

4. Adhuc. Illud ex quo fit aliud, aliquo modo mutatur. Deus autem est omnino immobilis, ut supra Lib. I. cap. xiv. probatum est. Impossibile est igitur quod ex eo aliquid fieri possit.

5. Amplius. In anima manifeste apparet variatio secundum scientiam, & virtutem, & eorum opposita. Deus autem est omnino invariabilis & per se, & per accidens. Non igitur anima potest esse de divina substantia.

6. Item. Supra ostensum est Lib. I. cap. xvi. quod Deus est actus purus, in quo nulla potentialitas invenitur. In anima autem humana invenitur & potentia, & actus: est enim in ea intellectus possibilis, qui est potentia ad omnia intelligibilia, & intellectus agens, ut ex supradictis cap. lxxvi. & seqq. patet. Non est igitur anima humana de natura divina.

7. Item. Quum substantia divina sit omnino impartibilis, non potest aliquid substantiae ejus esse anima, nisi sit tota substantia ejus. Substantiam autem divinam est impossibile esse nisi unam, ut supra Lib. I. cap. xlii. ostensum est. Sequitur igitur quod omnium hominum sit tantum anima una quantum ad intellectum: & hoc supra cap. lxxv. improbatum est. Non est igitur anima de substantia divina.

Videtur autem haec opinio ex triplici fonte processisse.

Quidam enim posuerunt, nullam substantiam incorpoream esse: unde nobilissimum corporum Deum esse dicebant, sive hoc esset aer, sive ignis, sive quodcumque aliud principium ponebant; & de natura hujusmodi corporis animam esse dicebant: nam omnes id quod ponebant principium, animae attribuebant, ut patet per Aristotelem in I. de Anima text. comm. xix. & infra: & sic sequebatur animam esse de substantia divina. Et ex hac radice pullulavit positio Manichaei, qui existimavit Deum esse quamdam lucem corpoream per infinita spatia distensam cujus quamdam particulam, humanam animam esse dicebat.

Haec autem positio supra Lib. I. cap. xx. improbatum est per hoc quod ostensum est, Deum non esse corpus: & per hoc quod ostensum est cap. xlix. & lxxv. animam humanam corpus non esse, nec aliquam intellectualem substantiam.

Quidam vero posuerunt intellectum omnium hominum esse unum, vel agentem tantum, vel agentem, & possibilem simul, sicut supra cap. lxxvi. dictum est: & quia quamlibet substantiam separatam antiqui Deum esse dicebant, sequebatur, animam nostram, id est intellectum quo intelligimus, esse divinae naturae: unde & a quibusdam nostri temporis christianae fidei professoribus, ponentibus intellectum agentem separatam, dictum est expresse, quod intellectus agens sit Deus.

Haec autem positio de unitate intellectus nostri, supra cap. lxxiiii. & lxxv. improbatum est.

Potuit autem ex ipsa similitudine animae nostrae ad Deum haec opinio nasci. Intelligere enim, quod maxime aeternum proprium Dei, nulli substantiae in mundo inferiori convenire invenitur nisi homini propter animam: unde videri potuit animam ad na-

turam divinam pertinere, & praesertim apud homines in quorum opinionibus erat firmatum, quod anima hominis esset immortalis. Adhuc etiam coadjuvare videtur quod Genes. i. postquam dictum est: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; subditur: *Formavit Deus hominem de limo terrae, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae*. Ex quo quidam accipere voluerunt, quod anima sit de natura divina: qui enim in faciem alterius inspirat, idem numero quod in ipso erat, in alium emittit; & sic videtur Scriptura innuere, quod aliquid divinum a Deo in hominem ad ipsum vivificandum immissum sit.

Sed similitudo praedicta non ostendit animam hominis esse aliquid substantiae divinae, quum in intelligendo defectum multipliciter patiat: quod de Deo dici non potest. Unde haec similitudo magis est indicativa cujusdam imperfectae imaginis quam alicujus substantialitatis: quod etiam Scriptura innuit, cum dicit, ad imaginem Dei hominem factum: unde & inspiratio praedicta processum vitae a Deo in hominem, secundum quamdam similitudinem demonstrat, non secundum unitatem substantiae: propter quod & in faciem spiritus vitae dicitur inspiratus: quia cum in hac parte corporis sint plurimum sensuum organa sita, in ipsa facie evidentius vita monstratur. Sic igitur Deus inspirasse in faciem hominis spiraculum vitae dicitur, quia spiritum vitae homini dedit, non eum ex sua substantia decidendo: nam & qui corporaliter insufflat in faciem alicujus, unde videtur sumpta esse metaphora, aerem in faciem ejus impellit, non autem aliquam suae substantiae partem in ipsum emittit.

CAPUT LXXXVI.

Quod anima humana non traducatur cum semine.

I. Part. quaest. cxviii. art. 1.

EX praemissis autem ostendi potest quod anima humana non traducitur cum semine, quasi per coitum seminata.

1. Quorumcumque enim principiorum operationes non possunt esse sine corpore, nec eorum initium sine corpore esse potest: sic enim res habet esse, sicut & operatur, cum unumquodque operetur in quantum est ens. E contrario vero quorum principiorum operationes sine corpore sunt, generatio eorum non est per generationem corporis: operatio enim animae nutritivae, & sensitivae non potest esse sine corpore, ut ex praemissis cap. xlvi. & lxxviii. patet. Operatio autem animae intellectivae non fit per organum corporeum, ut supra cap. lxxix. habitum est. Igitur anima nutritiva, & sensitiva per generationem corporis generantur, non autem anima intellectiva; sed traductio seminis ad corporis generationem ordinatur. Igitur anima nutritiva, & sensitiva esse incipiunt per seminis traditionem; non autem intellectiva.

2. Adhuc. Si anima humana per traditionem seminis esse inciperet, hoc non posset esse nisi dupliciter. Uno modo ut intelligeretur esse in semine actu, quasi per accidens divisa ab anima generantis, sicut semen dividitur a corpore, ut videmus in animalibus anulosis, quae decisa vivunt, in quibus est anima una in actu, & multa in potentia; diviso autem corpore animalis praedicti in qualibet parte vivente, incipit anima esse actu. Alio modo ut intelligatur in semine esse virtus productiva animae intellectivae, ut sic anima intellectiva ponatur in semine virtute, sed non actu.

Primum autem horum est impossibile duplici ratione. Primo, quia quum anima intellectiva sit perfectissima animarum, & maxima virtutis; ejus proprium perfectibile est corpus habens magnam diversitatem in organis, per quae possunt multiplices ejus operationes expleri: unde non potest esse quod fiat actu in semine deciso, quia nec etiam animae brutorum perfectorum per decisionem multiplicentur, prout contingit in animalibus anulosis. Secundo, quia cum intellectus, qui est propria, & principalis virtus animae intellectivae, non sit alicujus partis corporis actus, non potest dividi per accidens secundum corporis divisionem, unde nec anima intellectiva.

Secundum etiam est impossibile. Virtus enim activa quae est in semine, agit ad generationem animalis transmutando corpus: non enim aliter agere potest virtus quae est in materia. Sed omnis forma quae incipit esse per transmutationem materiae, habet esse a materia dependens: transmutatio enim materiae reducit eam de potentia in actum, & sic determinatur ad esse actu materiae, quod est per unionem formae; unde si per hoc etiam incipiat esse formae, simpliciter esse formae non erit nisi in hoc quod est uniti materiae, & sic erit secundum esse a materia dependens. Si igitur anima humana producat in esse per virtutem activam quae est in semine, sequitur quod esse suum sit dependens a materia, sicut esse aliarum formarum materialium: cujus contrarium supra cap. lxxix. ostensum est. Nullo igitur modo anima intellectiva producat in esse per seminis traditionem.

3. Amplius. Omnis forma quae educitur in esse per materiae transmutationem, est forma educita de potentia materiae: hoc enim est materiae transmutari, de potentia in actum educi. Anima autem intellectiva non potest educi de potentia materiae: jam enim supra ostensum est cap. lxxviii. quod ipsa anima intellectiva excedit totum posse materiae, quum habeat aliquam operationem absque materia, ut supra cap. lxxix. ostensum est. Non igitur anima intellectiva in esse educitur per transmutationem materiae, & sic neque per actionem virtutis quae est in semine.

4. Praeterea. Nulla virtus activa agit ultra suum genus. Sed anima intellectiva excedit totum genus corporeum, quum habeat operationem super omnia corpora elevatam, quae est intelligere. Nulla igitur virtus corporea potest producere animam intellectivam. Sed omnis actio virtutis quae est in semine, est per aliquam corpoream virtutem: agit enim virtus formativa mediante triplici calore, scilicet ignis, caeli, & calore animae. Non igitur potest produci in esse anima intellectiva per virtutem quae est in semine.

5. Praeterea. Ridiculum est dicere, aliquam intellectualem substantiam vel per divisionem corporis dividi, vel etiam ab aliqua virtute corporea produci. Sed anima humana est quadam intellectualis substantia, ut supra cap. lxxviii. ostensum est. Non igitur potest dici, quod dividatur per divisionem seminis, neque quod producat in esse a virtute activa, quae est in semine; & sic nullo modo per seminis traditionem anima humana incipit esse.

6. Praeterea. Si generatio alicujus est causa quod aliquid sit corruptio ejus, erit causa quod illud esse desinat. Corruptio autem corporis non est causa quod anima humana esse desinat, quum sit immortalis, ut supra cap. lxxix. ostensum est. Neque igitur generatio corporis est causa quod anima incipiat esse. Sed traductio seminis est causa propria generationis corporis. Non est igitur traductio seminis causa generationis animae in esse.

Per

Per hoc autem excluditur error Apollinaris, & sequacium ejus, qui dixerunt, teste Gregor. Nysseno, Lib. II. de Phil. cap. vi. animas ab animabus generari, sicut à corporibus corpora.

CAPUT LXXXVII.

Quod anima humana producat in esse à Deo per creationem.

I. Part. quest. xc. art. 2.

EX his autem quæ dicta sunt, ostendi potest quod solus Deus animam humanam in esse producit.

1. Omne enim quod in esse producit, vel generatur per se, aut per accidens, vel creatur. Anima autem humana non generatur per se, quum non sit composita ex materia, & forma, ut supra cap. l. & seqq. ostensum est; neque generatur per accidens: quum enim sit forma corporis, generaretur per corporis generationem, quæ est ex virtute activa seminis, quod cap. præced. improbatum est. Cum ergo anima humana de novo esse incipiat, non enim est æterna, nec præexistit corpori, ut supra cap. lxxxiii. ostensum est: relinquitur quod exeat in esse per creationem. Ostensum est autem supra cap. xxi. quod solus Deus potest creare. Solus igitur ipse animam humanam in esse producit.

2. Amplius. Omne illud cujus substantia non est suum esse, habet sui esse auctorem, ut supra ostensum est. Anima autem humana non est suum esse, hoc enim solius Dei est. Habet igitur causam activam sui esse. Sed quod per se habet esse, per se etiam agit; quod vero non habet esse per se, sed solum cum alio, non per se fit, sed alio facto, sicut forma ignis fit igne generato. Anima autem humana hoc habet proprium inter alias formas, quod est in suo esse subsistens, & esse quod est sibi proprium, corpori communicat. Anima igitur per se habet suum fieri propter modum aliarum formarum, quæ fiunt per accidens, compositis factis. Sed cum anima humana non habeat materiam partem sui, non potest fieri ex alio sicut ex materia. Relinquitur ergo quod ex nihilo fiat, & sic creetur. Quum igitur creatio sit opus proprium Dei, ut supra cap. xxi. ostensum est, sequitur quod à solo Deo immediate creatur.

3. Adhuc. Eorum quæ sunt unius generis, est idem modus prodeundi in esse, ut supra cap. xvi. probatum est. Anima autem est de genere substantiarum intellectualium quæ non possunt aliter intelligi prodire in esse nisi per viam creationis. Anima igitur humana exit in esse per creationem à Deo.

4. Item. Quidquid producit in esse ab aliquo agente, acquirit ab ipso vel aliquid quod est principium essendi in tali specie, vel ipsum esse absolutum. Anima autem non potest sic produci in esse, quod acquiratur ei aliquid quod sit principium essendi, sicut contingit in rebus compositis ex materia & forma, quæ generantur per hoc quod acquirunt formam in actu: non enim habet anima aliquid in se ipsa quod sit sibi principium essendi, cum sit substantia simplex, ut supra cap. l. & seq. ostensum est. Relinquitur igitur quod non producat in esse ab aliquo agente, nisi per hoc quod consequitur ab ipso esse absolute. Ipsum autem esse est proprius effectus primi, & universalis agentis: secunda enim agentia agunt per hoc quod imprimunt similitudines suarum formarum in rebus factis, quæ sunt formæ factorum. Anima igitur non potest produci in esse nisi à primo,

& universali agente quod est Deus.

5. Præterea. Finis rei respondet principio ejus: tunc enim res perfecta est cum ad primum principium pertingit vel per similitudinem, vel quocumque modo. Finis autem animæ humanæ, & ultima ejus perfectio est quod per cognitionem, & amorem transcendat totum ordinem creaturarum, & pertingat ad primum principium, quod Deus est. Igitur à Deo habet proprie suæ originis principium.

Hoc etiam innuere videtur sacra Scriptura; Genesis i. cum enim de institutione aliorum animalium loquens, eorum animas aliis causis adscribat, utpote cum dicit: Producant aquæ reptile animæ viventis: & similiter de aliis, ad hominem veniens, animam ejus à Deo creati ostendit, dicens: *Formavit Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.*

Per hoc autem excluditur error ponentium, animas ab Angelis esse creatas Seleucianorum de quibus August. lib. de hæret. num. lxx.

CAPUT LXXXVIII.

Rationes contra determinatam veritatem.

Sunt autem quædam quæ præmissis videntur esse adversa.

1. Quum enim homo sit animal, inquantum habet animam sensitivam; ratio autem animalis univocæ homini, & aliis animalibus conveniat: videtur quod anima sensitiva hominis sit ejusdem generis cum animabus aliorum animalium. Quæ autem sunt unius generis, eundem modum habent procedendi in esse. Anima igitur sensitiva hominis, sicut & aliorum animalium, per virtutem quæ est in semine, in esse procedit. Est autem idem secundum substantiam anima intellectiva, & sensitiva in homine, ut supra cap. lvi. ostensum est. Videtur igitur quod etiam anima intellectiva per virtutem seminis producat.

2. Præterea. Sicut docet Aristoteles in Lib. de generatione animalium, Lib. II. cap. iii. prius tempore est fœtus animal quam homo. Sed cum est animal, & non homo, habet animam sensitivam, & non intellectivam: quam quidem sensitivam non est dubium ex virtute activa seminis produci, sicut & in cæteris animalibus contingit; illa autem anima sensitiva est in potentia ut sit intellectiva, sicut illud animal est in potentia ut sit animal rationale. Nisi forte dicatur, quod anima intellectiva superveniens sit alia substantia, quod supra cap. lvi. improbatum est. Videtur ergo quod substantia animæ intellectivæ sit ex virtute quæ est in semine.

3. Item. Anima, quum sit forma corporis, unitur corpori secundum suum esse. Sed ad ea quæ sunt unum secundum esse, terminatur una actio unius agentis: si enim sunt diversa agentia, & per consequens diversæ actiones; sequetur quod sint facta diversa secundum esse. Oportet ergo unius agentis unam actionem terminari ad esse animæ, & corporis. Constat autem quod corpus fit per actionem virtutis quæ est in semine. Ergo & ab eadem est anima, quæ est ejus forma, & non ab agente separato.

4. Amplius. Homo generat sibi simile secundum speciem per virtutem quæ est in semine deciso. Omne autem agens univocum generat sibi simile in specie, per hoc quod causat formam generati, à qua est ejus species. Anima igitur humana, à qua est species hominis, producit ex virtute, quæ est in semine.

5. Item. Apollinaris sic argu mentatur (teste Gregor.

gor. Nyssen. II. Lib. de Phil. cap. vi.) Quicumque dat complementum operi, cooperatur agenti. Sed si animæ creantur à Deo, ipse dat complementum generationi puerorum, qui quandoque ex adulteris nascuntur. Ergo Deus cooperatur adulteris: quod sibi inconveniens videtur.

6. Inveniuntur autem in Libro qui Gregorio Nysseno inscribitur, quædam rationes ad hoc idem probandum. Argumentatur autem sic. Ex anima & corpore fit unum, quod est homo unus. Si igitur anima fiat prius quam corpus, aut corpus prius quam anima; idem erit prius, & posterius se ipso: quod videtur impossibile. Simul igitur fit corpus, & anima. Sed corpus incipit fieri in decisione seminis. Ergo & per decisionem seminis anima in esse producit.

7. Adhuc. Imperfecta videtur esse operatio agentis, qui non totam rem in esse producit, sed solum ejus alteram partem. Si igitur Deus animam in esse produceret, corpus vero virtute seminis formaretur, quæ duo sunt partes unius, scilicet hominis; utriusque operatio, scilicet Dei, & seminativæ virtutis, imperfecta videretur; quod patet esse inconveniens. Ab una igitur & eadem causa producit anima, & corpus hominis. Constat autem corpus hominis produci virtute seminis. Ergo & anima.

8. Item. In omnibus quæ generantur ex semine, omnes partes rei generatæ simul comprehenduntur virtute in semine, licet actu non appareant; sicut videmus in tritico, aut in quolibet alio semine, quod herba, & culmus, & internodia, & fructus, & aristæ virtute comprehenduntur in primo semine, & postea protenditur semen, & dilaturur quadam consequentia naturali ad perfectionem, non assumens aliquid extrinsecum. Constat autem animam esse partem hominis. In semine igitur hominis, virtute continetur anima humana, non autem ex aliqua exteriori causa principium sumit.

9. Amplius. Eorum quorum invenitur idem processus, & terminus, oportet esse idem originis principium. Sed in generatione hominis idem processus corporis, & animæ, & idem terminus invenitur: secundum enim quod figuratio, & quantitas membrorum procedit; & animæ etiam operationes magis ac magis manifestantur: nam prius apparet operatio animæ sensitivæ, & tandem corpore completo operatio animæ intellectivæ. Ergo idem est principium animæ, & corporis. Sed principium originis corporis est per decisionem seminis. Ergo est & principium originis animæ.

10. Adhuc. Quod configuratur alicui, constituitur ex ratione ejus cui configuratur; sicut cera, quæ configuratur sigillo, accipit hanc configurationem ex impressione sigilli. Constat autem corpus hominis, & cujuslibet animalis esse propriæ animæ configuratum: talis est enim organorum dispositio, qualis competit ad operationes animæ per eas exercendas. Corpus igitur formatur ex actione animæ: unde etiam Aristoteles dicit in II. de Anima text. comm. xxxvi. quod anima est efficiens causa corporis. Hoc autem non esset, nisi anima esset in semine: nam corpus per virtutem quæ est in semine, constituitur. Est igitur anima humana in semine hominis, & ita ex decisione seminis originem habet.

11. Item. Nihil vivit nisi per animam. Semen autem est vivum: quod patet ex tribus. Primo quidem quia à vivente deciditur. Secundo quia in semine apparet calor vitalis, & operatio vitæ quæ sunt rei viventis indicia. Tertio quia semina plantarum

terræ mandata, nisi in se vitam haberent, ex terra, quæ est exanimis, non possent calefcere ad vivendum. Est igitur anima in semine, & sic ex decisione seminis vitam habet, & originem capir.

12. Amplius. Si anima non est ante corpus, ut ostensum est cap. lxxxiii. neque incipit esse cum seminis decisione, sequitur quod prius forme corpus; & postea ei infundatur anima de novo creatæ. Sed si hoc est verum, sequitur ulterius quod anima sit propter corpus: quod enim est propter aliud, invenitur eo posterius; sicut vestimenta fiunt propter hominem. Hoc autem est falsum: nam magis est corpus propter animam, finis enim semper nobilior est. Oportet igitur dicere, quod anima simul cum decisione seminis oriatur.

CAPUT LXXXIX.

Responsiones ad prædicta.

Ad faciliorem vero præmissarum rationum solutionem, præmittenda sunt quædam ad exponendum ordinem, & processum generationis humanæ, & generaliter animalis.

Primo itaque sciendum est, falsam esse opinionem quorundam dicentium, quod opera vitæ, quæ apparent in embryone ante ultimum complementum, non sunt ex aliqua anima, vel virtute animæ in eo existente, sed ex anima matris. Si enim hoc esset verum; jam embryo non esset animal, quum omne animal ex anima & corpore constet. Operationes etiam vitæ non proveniunt à principio activo extrinseco, sed ab intrinseca virtute, in quo præcipue à non viventibus viventia videntur discerni, quorum est proprium movere se ipsa: quod enim nutritur, assimilat sibi nutrimentum: unde oportet in nutrito esse virtutem nutritionis activam, cum agens sibi simile agat. Et multo est hoc manifestius in operibus sensus: nam videre, & audire convenit alicui per virtutem aliquam in ipso existentem, non in alio. Unde cum embryo invenitur nutriti ante ultimum complementum, & etiam sentire, non potest hoc attribui animæ matris.

Nec tamen potest dici, quod in semine ab ipso principio sit anima secundum suam essentiam completam; cujus tamen operationes non apparent propter organorum defectum. Nam cum anima unitur corpori ut forma, non unitur nisi corpori cujus est propriæ actus. Est autem anima actus corporis organici. Non est igitur ante organizationem corporis in semine anima actus, sed solum potentia, sive virtute: unde Aristoteles dicit in II. de Anima text. comm. xxx. quod semen, & fructus sic sunt potentia vitam habentia, quod abijciunt animam, id est anima carent; cum tamen id cujus anima est actus, sit potentia vitam habens, non tamen abiciens animam. Sequeretur etiam, si à principio anima esset in semine, quod generatio animalis esset solum per decisionem, sicut est in animalibus anulosis, quod ex tunc fiunt duo. Semen enim, si statim cum est deciduum, animam haberet, jam haberet formam substantialem. Omnis autem generatio substantialis præcedit formam substantialem, non eam sequitur; si quæ vero transmutationes formam substantialem sequuntur, non ordinantur ad esse generati, sed ad bene esse ipsius. Sic igitur generatio animalis completeretur in ipsa decisione seminis; omnes autem transmutationes sequentes essent ad generationem impertinentes.

Sed adhuc magis est ridiculum, si hoc de anima